



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Sacrum Misericordiae Palativm**

Variis Sacrae-Scripturae Locis, Atque Septem misericordiae operibus quasi  
peristromatibus exornatum

**Gzaeus, Nicolaus**

**Augustae Trevirorum, 1618**

Qvod hæc verba Christi hospes eram & collegistis me, in iudicio extremo  
sint tantum dicenda ijs qui, in gratia Dei mortui sunt ca.15.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54459)

QVOD HÆC VERBA  
CHRISTI: HOSPES ERAM ET  
COLLEGISTIS ME, IN IVDICIO  
extremo sint tantum dicenda ijs qui  
in gratia dei mortui sunt.

## CAPVT XV.

**N**Vllus est qui Christum dominum in  
hac mortalium carne peregrinam fu-  
isse ignoret, eū namq; in utero virginis per  
Prophetæ spiritū contemplatus Ieremias  
dicebat: *Quare quasi Columnus futurus es in  
terra, & quasi viator declinans ad manendū?*  
De seipso etiam per psalmistam Regiū di-  
cit: *Aduena ego sum apud te & peregrinus,*  
quia (vt inquit alibi) *vulpes foveas habent, &  
volucres cœli nidos, Filius autem hominis non  
habet ubi caput suum reclinet.* Vnde iure in  
extremo iudicij die dicere electis poterit  
*venite Benedicti Patris mei percipite regnum  
quod paratum est vobis à constitutione mundi.*  
*Hospes eram & collegistis me.* Quæ quidem  
verba ad electos dumtaxat dicentur. Dabitū  
enim nemini esse potest, plurimos Hospi-  
tales viros, æternis ignibus atque cruciatibus

Cap. 14.

Psal. 38.  
Matth. 8.



bus esse adiudicatos; non quia hospitales  
 extiterunt, sed quia vitiorum aliorum labe  
 foedati, diuino iudicio preuenti, in peccatis  
 mortui sunt. Nō igitur Laban huius bene-  
 dictionis particeps erit, quamuis Abrahami *Genes. 24.*  
 seruo quandoq; dixerit: *Ingrede Benedicte*  
*Domini, cur foris stas? preparavi domum, &*  
*locum camelis:* In idololatria namq; persi-  
 stens, cultū vnius Dei, sculptis, & manufa-  
 ctis dijs, tribuit. Non huius particeps effi-  
 cietur felicitatis, infelix Abimelech licet *Genes. 29.*  
 Abrahamum Patriarcham fugitiuū & à pa-  
 ternis laribus pulsum charitatiuē recepe-  
 rit. Infidelis siquidem vsque ad mortē per-  
 mansit; sine quā fide impossibile est placere  
 Deo. Huius omnino benedictionis expers  
 erit filia Pharaonis quamuis naturali instin-  
 ctu Moysis pueritiæ miserta fuerit, nam in  
 infidelitate & paganismo decessit.

Non moab, qui David fugientem à sa- *1. Reg. 27.*  
 ule Saulis recepit; non moabitæ, qui Eli-  
 melech & Noemi cum filijs receperūt hu-  
 ius benedictionis erunt participes, quia fi- *Ruth. 1.*  
 decaruerunt. Solis ergo hospitalibus ele-  
 ctis, Dominus benedictionis huius teno-  
 rem largietur, qui toto vitæ tempore suis  
 peregrinos sustentarunt opibus, & in vlti-  
 mo vitæ curriculo in gratia Dei deces-  
 serunt.



serunt. Quales fuere Abraham & Ioth, qui in intempestiuo diei calore, singula ciuitatis compita perlustrabant, non modo hospites inquirentes, sed ad hospitium vel inuitos cogentes. Talis etiam erat Booz, qui viduæ Ruth tanta charitatis impendit officia, vt illa præ stupore, tantæ charitatis incendium admirâs diceret: *Vnde mihi hoc vt inuenirem gratiam ante oculos tuos, & nosse me dignareris peregrinam mulierem?* Iob in illa die exultabit & audita voce Christi: *Hospes eram & collegistis me; lætus proferet: Foris non mansit peregrinus & ostium meum patuit viatori: Quod quidem dicere poterit Onesiphorus de quo D. Paulus loquens sic Altissimum pro eius salute precabatur: Det Misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sepe me refrigerauit.* Er. Tunc sanctus Syluester lætabitur, qui ad Pontificalem subuect<sup>o</sup> dignitatem, omnes libentissime excipiebat peregrinos; eiusq; pontificale Palatium, quorumcumque aduenarum fiebat hospitium. Gaudebit profectò tunc Abbas Theodosius qui vna die vt peregrinos omnes exciperet, centum & plures mensas sternebat, dapibusq; variatis exornabat.

Ruth. 2.

Iob. 31.


2. Timoth. 1.

Tertul. lib. de  
Corona mili-  
tis

Quid antiquos memorem Christianos,  
qui



qui ob hospitalitatem apud Traianum Imperatorem à Plinio commendati fuerunt? Quid Basilium prædicæ, qui (vt refert Amphiloehius) domum suæ vncinam domui construxerat in qua pauperes recipiebat? Quid D. Benedictum, Franciscum aliosq; innumeros recenseam? Tædiosum foret nimis, longam sanctorum patrum narrationem huic breui compendio intexere. Hij igitur omnes gratam, grato animo percipient benedictionem. *Venite benedicti Patris mei &c. Hospes eram & collegistis me* qui non solum Christum in proprio corpore (qualis est in Eucharistiæ Sacramento) digne receperint; sed etiam ijs omnib; quæ eius membra (Religiosos dico mendicantes) charitatiuè exceperint. Hij enim maximè peregrini sunt quibus nec census annuus datur, nec locorum propria spatia conceduntur.



T 5

QVOD

Handwritten text on the right edge of the page, possibly a library or collection mark.